

§. 1. Quod nullus Banus, Comes, Waywoda, seu alias Officialis Regius, cujuscunque tituli, authoritatis, dignitatis, et praeeminentiae existat; Ecclesias Archi-Episcopales, Episcopales, Abbatiales, Praepositales et alias quascunque juri patronatus Regio conservatas, et disponendas, earumque pertinentias, fructus, et redditus; sed neque decimas et possessiones, intra terminos et limites sui Honoris, seu Officiolatus, absque speciali mandato Regiae Majestatis occupare, aut de eisdem partialiter, aut totaliter se ingerere praesumat.

Judicatus Comitatus Zagoriae, in Regno Sclavoniae, cesset: et quod appellatio fiat ad Banum.

A r t i c u l u s 50.

Item conclusum est: Quod judicium, et judicatus Comitum Zagoriae, in Varasdino hactenus celebrari solitum, aboleatur, et amodo, nullo unquam tempore, celebretur.

§. 1. Quodque causantes in illo Comitatu, ad Sedem, seu judicium Banorum Sclavoniae, spectare debeant et teneantur.

Judices Regni Ordinarii qui sint? Et quod nemo in Sedem Judiciariam, nisi vocatus, intrare possit.

A r t i c u l u s 68.

§. 3. Isti autem subscripti, videlicet; Magister Tavernicorum, Magnus Seneschalcus, Banus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, et Waywoda Transylvanus, non censentur Judices Ordinarii, et idcirco ad Sedem judiciariam Regiae Majestatis, non vocati, intrare non debent, neque tenentur.

Judices Regni Ordinarii, et eorum Vices-Gerentes, nec non Comites, Vice-Comites, Proto-Notarii, Assessores, aliisque, Regni judicia exercentes; juramentum suis locis praestent.

A r t i c u l u s 73.

§. 1. Quod perpetuis semper successivis temporibus, omnes Judices, et Justitiarii hujus Regni, tam Ecclesiastici, quam Saeculares, qui videlicet in Palatinum, Judicem Curiae Regiae, Magistrum Tavernicorum, Cancellarium, aut Vice-Cancellarium, in Proto-Notarios, seu Vices-Gerentes Judicum praetectorum, et etiam Assessores eorundem; Banum Sclavoniae, Waywodam Transylvanum, et in Comites quorumlibet Comitatum, ac Judices Nobilium eligentur, et assumentur, eorundemque Vices-Gerentes, et substituti; tempore assumptionis ipsorum ad hujusmodi officia, in conspectu Regiae Majestatis, juramentum honestum, de servanda fidelitate et administranda justitia, praestare debeant.